

recepta, additur vespertina collatiuncula, in qua iis solum cibus uti licitum est, qui ipsa consuetudine sunt approbati, *cujusmodi*, in his regionibus sunt, *vae, nices, poma, et alia ex saccharo condita, imo et aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit*, ait Sylvius.

Dicitur 3. *Hora competenti sumenda*, nempe circa meridiem, ut fert usus ab Ecclesia receptus: tamen propter justam causam, potest circa meridiem sumi collatiuncula, et coena differri ad vesperam, quia illa inversio est tantum variatio circumstantiae jejunio non substantialis; ergo ex justa causa potest fieri.

Quaeres 2. *Utrum sumptio potus extra tempus refectionis, noceat jejunio?*

Resp. Sumptio potus de se nutritive nocet jejunio: sumptio vero potus, qui non ad nutritionem, sed ad alterationem corporis sedandam, et digestionem ciborum assumptorum, sumitur, non nocet jejunio: ita D. Thom. 2. 2. *quodest.* 147. *artic.* 6. *ad* 2.

Quaeres 3. *Quot sint causae a jejunio excusantes?*

Resp. Sunt duae, impotentia, scilicet, et labor.

*Ratione impotentiae*, excusantur. 1. *Adolescentes*, qui 21. aetatis annum nondum expleverunt, quia sunt in statu augmenti. 2. *Senes*, non ratione senectutis, sed ratione magnae debilitatis. 3. *Infirmi et convalescentes*, quos infirmitas extenuavit. 4. *Praegnantes et nutrices*, quia egent cibo pro se, et pro foetu, vel prole. 5. *Pauperes*, cum simul habere nequeant quod eis sufficit ad unam refectionem.

*Ratione laboris*, excusantur illi soli qui opus, vel iter pedibus conficiunt, quo adeo defatigantur, ut simul cum jejunio laborare, vel itinerari non possint, et quod pro tunc sit ita necessarium, *ut absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris status, vel spiritualis vitae, non possit differri*, ait D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. *ad* 3.

Non excusantur vero omnes, quorum labor non est

gravis, quales sunt pictores, barbitonsores, sartores, notarii, scribae, &c. Item qui equo vel curru iter agunt, nisi forte, ob extraordinarium cursum ac defatigationem, non possint sine gravi incommodo jejunare. Hinc Alex. VII. sequentes damnavit propositiones.

*Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificari, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

*Excusantur absolute a praeepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

## TRACTATUS XI.

### DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

**Nota.** Plurium statuum obligationes satis per se patent: qui voluerit eas legere, consulat nostram Theologiam in hoc Tract. hic ergo agemus tantum de obligationibus Clericorum, beneficiatorum, religiosorum, et personarum judicialium, ideo sit:

#### CAPUT I.

##### De obligationibus beneficiatorum.

**H**ic agendum est 1. de *Horis Canonicis*. 2. De beneficiis: inde enim maxime pendunt obligationes beneficiatorum.

## QUAESTIO I.

## De Horis Canonicis.

Quaeres 1. **Q**uid sint Horae Canonicae?

*Resp.* Sunt preces vocales ab Ecclesia institutae, ejus nomine quotidie statutis horis Deo persolvendae a personis ad id specialiter deputatis.

Quaeres 2. **Q**uam ad Horas Canonicas teneantur?

*Resp.* Tenentur 1. omnes Clerici sacris ordinibus initiati. 2. Omnes religiosi et moniales professi ad chorum destinati. 3. Omnes Clerici (sive sacris sint initiati, sive non) beneficium ecclesiasticum possidentes, sive tenue sit, sive pingue, sive possideatur in titulum, sive in commendam, tenentur *regulariter* ad Horas persolvendas sub mortali, et restitutionis obligatione, etiam ante omnem sententiam declaratoriam Judicis. Ita statuit Concil. Lateran. V. et post ipsum Pius V. Bulla, *Ex proximo*.

Dixi 1. *Clerici beneficium possidentes*, ut excludatur tum Coadjutor, licet instituatur, quia nondum est beneficiarius, tum Pensionarius, quia pensio non est beneficium; tenentur tamen juxta Bullam Pii V. *Ad officium parvum Beatae M. V.* sub eadem poena sub qua beneficiarii tenentur ad Horas Canonicas.

Dixi 2. *Regulariter*, quia nonnulla extant beneficia, quae ex sua institutione ad aliquas tantum preces obligant, v. gr. ad recitationem officii B. M. Virginis, non vero ad officium divinum.

Dixi 3. *Sub mortali*: quia est gravis obligatio ad virtutem religionis et justitiae pertinens: materia autem gravis censetur una parva hora, v. gr. Prima.

Dixi 4. *Sub restitutionis obligatione*: quia sub hoc onere Ecclesia illis beneficium contulit, ut definivit supra dictus Pius V. qui regulando restitutionem, sta-

tuit ut qui per unum diem officium omiserit, teneatur restituere omnes fructus, qui illi diei responderent, si fructus beneficii dividerentur: qui matutinum tantum omiserit, dimidiam partem; qui reliquas omnes horas, reliquam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem, comprehensis etiam distributionibus, quas non lucratur, non recitans, etiamsi choro intersit, ut expresse habet Bulla.

Dixi 5. *Ante omnem sententiam*, prout definivit Alex. VII. in damnatione prop. contrariae.

Quaeres 3. **Q**uibusnam debentur distributiones quotidianae?

*Resp.* Iis solis qui choro intersunt. *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusionem aut remissione exclusam, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, Consuetudinem*, inquit Coucil. Trid. Sess. 24. cap. 12. deinde in decreto Bonif. VIII. additur: *Non censetur praesens qui non attendit*; ergo ad lucrandas distributiones requiritur praesentia formalis, et ad orandum ordinata.

Quaeres 4. **I**n quibus casibus absens distributiones possit lucrari?

*Resp.* In tribus, nempe, in casu gravis infirmitatis, rationabilis corporis necessitatis, et utilitatis Ecclesiae: *Exceptis*, ait Bonif. VIII. *illis quos infirmitas, seu justa aut rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret*. Hi enim fictione juris, censentur praesentes.

Quaeres 5. **Q**uomodo horae sint recitanda?

*Resp.* Hunc modum dat caput, *dolentes*, de celebratione missarum, his verbis: *Districte praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studio celebretur pariter et devote*.

Quaeres 6. **Q**uoniam requirantur, ut horae recitentur studiose?

*Resp.* Quinque. 1. *Ut in debito recitentur Breviario,* juxta Bullam Pii V.

2. *Ut omnia distincte proferantur, sine synopa,* ait glossa, et voce per se audibili, ita ut recitans, secluso impedimento, possit seipsum audire, quia Horae sunt orationes vocales.

3. *Ut recitentur debito tempore,* juxta consuetudinem legitime introductam: juxta quam matutinum potest cum, vel sine laudibus recitari pridie, ab eo circiter tempore quo sol est propior ad occasum, quam ad meridiem.

4. *Ut recitetur ordine praescripto:* v. gr. matutinum ante laudes, &c. Qui tamen inverteret hunc ordinem, peccaret tantum venialiter, quia praeceptum observaret quoad substantiam, omnes horas recitando intra diem naturalem: imo non peccaret, si inversio illa fieret ex oblivione, vel ex juxta causa, quia cum hic ordo non pertineat ad substantiam officii, Ecclesia censetur permittere eum mutari, cum adest rationabilis causa.

5. *Ut recitentur absque interruptione, nisi adsit justa causa:* illa tamen interruptio est solum venialis, quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario.

Quaeres 7. *Quid requiratur, ut horae devote recitentur?*

*Resp.* Requiritur 1. *Intentio* recitandi horas, et Deum orandi: sufficit tamen interpretativa, qualem habet, qui, ut suae obligationi satisfaciat, assumit Breviarium, vel debito tempore ad chorum convenit, recitandi officii gratia.

Requiritur 2. *Attentio interna,* sive ad verba, quatenus continent laudes Dei, sive ad sensum verborum, sive ad Deum, non quidem *actualis,* quae saepius non est in nostra potestate, sed *virtualis,* cum qua subsistit oratio et actus humanus. Porro attentio virtualis, est ipsa actualis initio orationis concepta, quae virtuali-

ter permanet quamdiu non est revocata, vel expresse, per actum quo vult non intendere; vel tacite, per voluntariam distractionem. Unde Clerus Gallicanus hanc propositionem, *Praecepto satisfacit, qui voluntarie laudibus tantum, non autem mente orat,* damnavit, *ut absonam et verbo Dei contrariam.*

Quaeres 8. *Quot sunt causae excusantes a recitatione horarum, et restitutione?*

*Resp.* Sunt quatuor: 1. Est legitima Papae dispensatio. . . . 2. Est gravis infirmitas, qualem habere censetur qui sine notabili nocumento legere officium non potest. . . . 3. Est gravis occupatio honesta et necessaria, quae absque gravi sui, vel proximi detrimento spirituali, tum corporali, differri non potest, sitque majus bonum quam officii recitatio. . . . 4. Est tum physica, tum moralis impotentia: qui tamen totum officium recitari non potest, tenetur ad partem quam potest. Unde Innocent. XI. hanc proposit. damnavit: *Qui non potest matutinum et laudes recitare, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur.*

## QUAESTIO II.

### De Beneficiis.

Quaeres 1. *Quid sit beneficium.*

*Resp.* Est, *jus perpetuum, competens Clerico, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.* Hoc est, auctoritate Papae, vel Episcopi. Hinc Capellaniae non collativae, sed a privatis, licet in perpetuum, dotatae pro Missarum celebratione, non sunt beneficia, nec debent conferri per canonicam institutionem.

Quaeres 2. *Utrum necessario requiratur titulus ad acquirendum beneficium?*

*Resp.* Ita necessario requiritur, ut qui mala fide

absque titulo invadit beneficium, non solum illud amittat, sed insuper fiat inhabilis ad aliud postea obtinendum. Ita definivit Alexand. III. cap. *Ad aures*, de excess. Praelator.... Quod si bona fide cum titulo colorato beneficium obtinuerit, sit legitimus illius possessor post triennem possessionem pacificam, modo beneficium fuerit obtentum *absque simoniaco ingressu*, nec ad illum fuerit inhabilis qui illud possidet. Ita habet *regula Cancellariae; Rom. de triennali possessione*.

Agemus hic 1. de variis titulis, quibus beneficia acquiruntur. 2. De his quibus conferri debent, et de bonorum ecclesiasticorum usu. 3. De beneficiorum pluralitate et beneficiariorum residentia 4. De simonia.

### ARTICULUS I.

*De variis titulis quibus beneficia acquiruntur.*

**Nota.** Illi tituli sunt septem, scilicet 1. Collatio libera. 2. Praesentatio. 3. Electio. 4. Postulatio. 5. Resignatio. 6. Permutatio. 7. Subrogatio: de quibus sit.

Quaeres. 1. *Quid sit collatio libera?*

*Resp.* Est, *attributio beneficii facta a Praelato, jure pleno atque independenti.*

Dixi: *a Praelato*: id est, 1. a Papa in tota Ecclesia, qui quatuor modis confert beneficia, nempe 1. *Jure praeventionis*, per gratiam expectativam. 2. *Jure reservationis*, sic in Gallia reservantur in favorem graduatorum beneficia non patronata, vacantia mensibus Januarii, Aprili, Julio, et Octobri. 3. *Jure concursus cum quolibet alio collatore ecclesiastico*, modo conferat beneficium ante ordinarium. 4. *Jure devolutionis*.

2. Ab Episcopo in sua Dioecesi, nisi ex fundatione beneficii aut legitima praescriptione, alteri ecclesiastico competat.

Quaeres 2. *Quid sit praesentatio?*

*Resp.* Est, *exhibitio personae idoneae, a patrono facta Praelato, ut ei beneficium vacans conferat per institutionem*. Hinc praesentatio, dat jus ad rem; institutio, jus in re.

Patronus, alius est Ecclesiasticus, alius Laicus; inter utrumque hoc est discrimen. 1. Quod Patrono Laico concedantur tantum quatuor menses a die vacationis ad praesentandum; sex vero Patrono Ecclesiastico. 2. Quod Patronus Laicus variare possit, non vero Ecclesiasticus, qui si indignum nominavit, jure suo pro hac vice excidit. 3. Quod beneficium Patronatus Laici, nec sit obnoxium praeventioni Papae, juri indultariorum, aut graduatorum, aut gratiarum expectatarum; nec possit resignari, permittari, aut pensione gravari absque consensu Patroni, bene vero beneficium Patronatus Ecclesiastici.

Quaeres 3. *Quid sit electio?*

*Resp.* Est, *personae eligibilis prae aliis assumptio ad beneficium vacans*. Per eam acquiritur jus ad beneficium; nam jus in beneficio obtinetur sola confirmatione; quae definitur: *concessio juris in beneficio facta a superiore ei qui electus est*.

Ut sit valida electio, requiritur a jure, 1. Ut omnes, qui jus electionis habent, rite vocentur. 2. Ut intra trimestre a die vacationis fiat electio, nisi adsit legitimum impedimentum. 3. Ut electores sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum. 4. Ut electorum pars major consentiat.

Quaeres 4. *Quid sit postulatio?*

*Resp.* Est, *obsecratio ab electoribus facta superiori, ut ad beneficium vacans admittere velit aliquem; qui alias eligi non poterat ob impedimentum canonicum*. Nullum dat jus ante admissionem et confirmationem.

Quaeres 5. *Quid sit resignatio?*

*Resp.* Est, *spontanea sui beneficii dimissio coram*

*legitimo Superiore eam acceptante.* Sine hac acceptatione resignans non perdit jus suum. Duplex est, nempe, *simplex*, quae fit sine ulla conditione et pacto; et *conditionata*, quae fit, vel cum pensionis reservatione, vel ea conditione ut alicui personae designatae conferatur beneficium: haec a solo Papa potest admitti; cum in ea versetur simonia, quam solus Papa purgare potest.

Ut resignatio in favorem sit valida, requiritur 1. Ut resignans in infirmitate supervivat 20. dies post resignationem. 2. Ut intra sex menses a die supplicationis, resignatio publicetur in loco beneficii, si fiat in curia Romana: intra mensem vero, si fiat extra Curiam. Ita ferunt Regulae Cancellariae, *de infirmis*, et Reg. *de publicandis*, in Gallia vigentes.

Quaeres 6. *Quid sit permutatio?*

*Resp.* Est, *beneficii ad aliud beneficium facta mutua praestatio*, ab Ordinario admissa, vel ab utriusque Dioecesis Episcopis, si beneficia compermutanda sita sint in diversis Dioecesibus.

Quaeres 7. *Quid sit regressus, et an sit licitus?*

*Resp. ad 1.* Est, jus resumendi beneficium resignatum aut permutatum, etiam post admissam a Praelato resignationem aut permutationem.

*Resp. ad 2.* Licet jus regressus sacris Canonibus, a Concilio Trid. confirmatis, sit contrarium, tamen in Gallia vim et robur habet in variis casibus, quos exposuimus in nostra Theologia, Tomo II.

Quaeres 8. *Quid sit subrogatio?*

*Resp.* Est, *unius vocatio in jus et locum alterius.* Solummodo locum habet inter duos de beneficio litigantes, quorum si unus, lite pendente, e vivis excedat, superstes in jus et locum ipsius sufficitur.

Quaeres 9. *Quid sit pensio clericalis?*

*Resp.* Est, *jus percipiendi fructus ex alterius beneficio.* Creari potest, 1. Ut tollatur beneficiorum magna

inaequalitas in permutatione facienda. 2. Ut lis inter duos de beneficio colligantes componatur. 3. Ut indigenti Sacerdoti, qui beneficio inservivit, subveniatur .... Requiritur tamen, 1. Ut titulario supersint necessaria ad victum et vestitum. 2. Ut pensio non excedat tertiam partem fructuum. 3. Ut pensionarius per 15. annos beneficio inservierit, juxta edictum Ludovici XIV. datum anno 1671.

## ARTICULUS II.

*De iis quibus conferri debent beneficia, ac de bonorum Ecclesiasticorum usu et dominio.*

Quaeres 1. **Q**uam sunt incapaces beneficii possidendi?

*Resp.* Sunt incapaces, 1. Qui non receperunt primam Tonsuram. 2. Qui non habent ordinem sacrum quem beneficium ex sua institutione requirit; sufficit tamen ut intra annum suscipiatur ille ordo. 3. Qui non habent aetatem idoneam, quae varia est pro varietate beneficiorum. 4. Qui sunt aliqua censura vel irregularitate irretiti.

Quaeres 2. *Utrum digniores sint promovendi ad beneficia, praetermissis minus dignis?*

*Resp. affirm.* Nam Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. *de ref.* hortatur Patronos, Electores, collatores, *ut in primis meminerint eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles, ipsi judicaverint, praefici diligenter curaverint.* Ita etiam docet D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. *Quantum ad conscientiam eligentis, inquit, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Ratio est, quia qui minus dignos eligunt, fidem, quam Ecclesiae et fundatoribus debent,

violant, et accipiunt personas in re gravi, quod est peccatum mortale. . . Tamen, cum id postulat charitas vel majus Ecclesiae bonum, possunt beneficia simplicia conferri dignis, relictis dignioribus.

Quaeres 3. *Utrum beneficiarii sint domini reddituum suorum beneficiorum?*

*Resp.* Sunt administratores tantum, et non domini; unde si in usus superfluos et prophanos impendant partem, quae horum honestae sustentationi superest, tenentur eam restituere ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, quae nimirum ipsis obveniunt ut stipendia quaedam pro functionibus Ecclesiasticis. Ita docent Canones, Patres, ac Theologi. *Can. fraternitatem, de donation. Episcopus et quilibet Praelatus rerum Ecclesiasticarum procurator est, non dominus.* D. Thom. quodl. 6. art. 12. ait: *Bonorum vero Ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores.* S. Raymundus, lib. 2. tit. 5. de rapt. et praed. § 6. docet, *Clericos, qui consanguineis conferunt bona Ecclesiastica pauperibus debita, esse raptores, et per consequens teneri ad restitutionem omnium.* Unde Joannes Major, in 4. distinct. 24 quaest. 9. asserit se nullum scire, qui ante suam aetatem contrarium docuerit.

*Objicies.* 1. Concil. Trident. statuit beneficiarios, munus suum non implentes, *fructus suos* non facere; ergo dum ipsum rite obeunt, *fructus suos* faciunt, et horum acquirunt dominum.

*Resp. Dist. conseq.* Acquirunt dominium restrictum et gravatum onere justitiae impendendi superflua in pios usus, *conc. dominium liberum, nego conseq.*

*Inst.* Ecclesiastici de bonis mere Ecclesiasticis testantur, non contradicente Ecclesia; ergo sunt veri domini illorum bonorum.

*Resp. Nego conseq.* Ecclesia enim non permittit hunc abusum, cum illum damnet; *cap. relatum, de*

*testam.* sed illud tolerat ad vitandas perturbationes, et multas lites, quae, ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis, necessario orirentur: unde haeredes tenentur bona illa pauperibus, vel aliis piis causis restituere.

### ARTICULUS III.

*De beneficiorum pluralitate, et beneficiariorum residentia.*

Quaeres 1. *Quotuplicis generis sint beneficia?*

*Resp.* Alia sunt *compatibilia*, quae personalem residentiam non exigunt, nec idem officium eodem tempore persolvendum; et *incompatibilia*, quae sunt duplicis generis. *Primi generis*, sunt ea, quorum unum ipso facto, absque ulteriori sententia, excludit alterum, v. gr. duo beneficia curata, duo canonicatus, aut duae Capellae sub eodem tecto. *Secundi generis*, sunt ea, quae, licet non ita pugnent, ut primum vacet ipso facto, obleno secundo, tamen simul retineri non possunt absque dispensatione, v. gr. duo canonicatus in diversis Ecclesiis.

Quaeres 2. *Utrum sit licitum plura simul possidere beneficia?*

*Resp.* Illicitum est, et juri naturali contrarium, nisi adsit justa causa; nam, juxta Conciliorum decreta, SS. Pontificum et Patrum oracula per pluralitatem beneficiorum, 1. Ordo ecclesiasticus pervertitur. 2. Minuitur cultus divinus. 3. Justitia distributiva laeditur. 4. Fraudatur voluntas fundatorum. 5. Defuncti injuste precibus atque suffragiis sibi debitis privantur, &c. Atqui haec omnia juri ac aequitati naturali repugnant; ergo.

Dixi: *Nisi adsit justa causa*: quae juxta Concil. Trident. unica est, nempe *tenuitas beneficii* non sufficientis ad honestam sustentationem, cui adjungi potest aliud beneficium simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, hic tamen alias duas addunt

Theologi, quarum 1. *necessitas Ecclesiae*, nempe si desiat alii, vel idonei. 2. *Est utilitas Ecclesiae*, v. gr. ut Ecclesia adversus haereticos defendatur.

Hinc, qui, absque justa causa, plura beneficia obtinuit per dispensationem pontificiam, tenetur, uno relicto, caetera resignare, quia Pontifex non potest dispensare in iis quae sunt juris naturalis, nisi interveniat justa causa quae turpitudinem tollat.

Quaeres 3. *Quid sit residentia?*

Resp. Est, *commoratio in loco beneficii, personalisque muniturum ecclesiasticorum functio.*

Quaeres 4. *Quinam tenentur ad residentiam?*

Resp. 1. Jure divino tenentur illi quibus incumbit cura animarum, ut definit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* 2. Canonici, aliique Clerici, qui praebendas, vel dignitates in Ecclesiis cathedralibus aut collegiatis possident, *Trid. sess. 24. cap. 12.* hocque sub poena restitutionis fructuum *ipso facto* faciendae pro rata temporis absentiae.

Quaeres 5. *Quot sin justae causae a residentia excusantes?*

Resp. Quatuor assignat Concil. Trid. modo ita provideant omnibus, ut, ex ipsorum absentia, nullum damnum accipiant. 1. Est, *Christiana charitas.* 2. Est, *urgens necessitas.* 3. Est, *debita obedientia.* 4. Tandem, *evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas.* Extra has causas Concil. Trident. concedit Episcopis ex justa causa tres menses absentiae; Canonici duos vel tres; sed Parochis nullum tempus concedit.

#### ARTICULUS IV.

##### De Simonia.

Quaeres 1. *Quid sit simonia?*

Resp. Est, *studiosa voluntas emendi, vel vendendi ali-*

quid spirituale, vel spirituali annexum. Porro aliquid potest esse annexum spirituali tripliciter. 1. *Antecedenter*, ut vasa sacra, altaria &c. quae referuntur ad sacrificium Missae. 2. *Concomitanter*, ut labor intrinsecus in celebratione Missae, &c. 3. *Consequenter*, ut jus percipiendi proventus beneficiorum, quod supponit officium spirituale.

Quaeres 2. *Quotuplex est pretium simoniae?*

Resp. Triplex, scilicet, *munus a manu*, id est, pecunia, aut quid pecunia aestimabile. *Munus a lingua*, id est, patrocinium, commendatio apud alium, &c. *Munus ab obsequio*, id est, obsequium alteri praestitum, aut praestandum ad rem spirituales ab ipso comparandam.

Quaeres 3. *Quale sit peccatum simoniae?*

Resp. Es gravissimum peccatum, tum contra religionem, quia est quaedam species sacrilegii; tum contra justitiam, quia simoniacus usurpat dominium rerum quod non habet, unde omnes actus simoniaci sunt irriti, et obligant ad restitutionem.

Quaeres 4. *Quotuplex generis est simonia?*

Resp. Duplicis, scilicet, alia est *juris divini*, et est, *rei temporalis commutatio pro re spirituali qua tali.* Alia est, *juris humani*, et est, *pactio quaelibet, aut conventio, quae ab Ecclesia sub poenis simoniae inhibetur, quatenus labem redolet simoniacam.*

Quaeres 5. *Quomodo dividitur simonia?*

Resp. Dividitur in realem, mentalem, conventionalem, et confidentialem.

*Simonia realis*, est, *pactio simoniaca expressa, vel implicita, ex utraque parte completa, saltem inchoate.* Ut si pars pretii soluta fuerit, et res spiritualis tradita.

*Simonia mentalis*, est, *datio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto, etiam tacito.*

*Simonia conventionalis*, est, *pactio exterius ex una, vel utraque parte facta, dandi vel accipiendi rem tem-*

*poralem pro spirituali.* Quod si pactum ex neutra parte executioni sit mandatum, vocatur *pure conventionalis*. Si vero ex una parte sit executioni mandatum, vocatur *conventionalis mixta*, ex conventionali nempe et reali.

Simoniam *confidentiae*, committi potest quatuor modis:

1. *Per accessum*, v. gr. cum praelatus, volens alicui per aetatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri, eo pacto, ut quam primum incapax factus fuerit capax, illud accipiat.

2. *Per ingressum*, v. gr. cum quis beneficium sibi collatum, alteri, ante captam ejus possessionem, resignat, eo pacto ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel beneficium dimittat.

3. *Per regressum*, ut cum quis beneficium a se possessum, alteri resignat, eo pacto, ut iste sibi, vel alteri, idem beneficium resignatus sit convenienti tempore.

4. *Per stipulationem pensionis*, sibi vel alteri dandae ex fructibus beneficii.

Quaeres 6. *Quaenam simoniae species poenis canonicis sint obnoxiae?*

*Resp.* Sunt duae duntaxat, realis scilicet, et confidentialis.

Quaeres 7. *Quaenam sunt poenae simoniae realis?*

*Resp.* Sunt tres: 1. Excommunicatio Papae reservata, quam ipso facto incurrunt, qui rem spirituales simoniace obtinuerunt, contulerunt, aut quovis modo procuraverunt. 2. Est privatio rei spiritualis simoniace acquisitae, et fructuum ex ea perceptorum. 3. Est inhabilitas ad idem beneficium, si simonia sit commissa in beneficio.

Quaeres 8. *Quaenam sunt poenae simoniae confidentialis?*

*Resp.* Ex Bulla Pii V. *detestabilis*, sunt 1. Excommunicatio Papae reservata contra utrumque contrahentem. 2. Privatio beneficii per confidentiam obtenti. 3.

Inhabilitas ad idem beneficium, et ad alia acquirenda. 4. Privatio beneficiorum antea legitime possessorum, et pensionum prius obtentorum, non tamen ante sententiam judicis declaratoriam, cum justo titulo possideantur. 5. Beneficia per confidentiam collata Papae reservantur. 6. Fructus illorum beneficiorum camerae Apostolicae addiuntur, sed haec additio locum non habet in Gallia.

## CAPUT II.

## De obligationibus religiosorum.

Quaeres 1. *Quid sit status religiosus?*

*Resp.* Est, *stabile vitae institutum, ab Ecclesia approbatum, et tendens ad perfectionem per tria vota, paupertatis, obedientiae, et castitatis.*

Quaeres 2. *Quid sit obedientia religiosa?*

*Resp.* Est, *virtus moralis virum religiosum inclinans ad executionem praecepti superioris, in omnibus quae cadunt sub virtute obedientiae.* Qualia sunt 1. Observatio regulae secundum vim obligationis ejus in unaquaque religione receptam. 2. Praecepta superiorum in omnibus quae praecipiunt consentaneae ad regulam, constitutiones, et regularem observantiam. 3. Mandata Pontificia, nam votum obedientiae, per se primo et principaliter fit summo Pontifici tanquam supremo omnium religionum praeposito generalissimo.

Quaeres 3. *Quotuplex est inobedientia, et quale peccatum?*

*Resp.* Duplex, nempe, *formalis*, estque *violatio praecepti cum expressa intentione violandi praeceptum, vel praecipientem contemnendi.* Haec est semper mortalis, etiamsi praeceptum sit de re levi, juxta illud Christi: *Qui vos spernit, me spernit*, Luc. 10. sed contemnere Deum in re levi, est grave peccatum; ergo &c. . . Et *materialis*, quae est, *violatio praecepti, sine expressa in-*

entione violandi illud. Haec reperitur, estque mortalis in re gravi, et venialis in re levi.

Quaeres 4. *Quid sit castitas religiosa?*

Resp. Est, votum solemne, quo religiosus promittit abstinendam perpetuam a voluptatibus carnalibus illicitis, et alias licitis. Hinc peccatum contra castitatem in religioso, est etiam sacrilegium, ac proinde duplicem habet malitiam.

Quaeres 5. *Quid sit paupertas religiosa?*

Resp. Est, votum solemne, quo religiosus promittit abdicationem omnis domini, proprietatis, ususque independentis a voluntate superioris. Unde jure merito tanquam veri proprietarii damnantur a Conc. Trid. non solum ii qui absque superioris licentia de rebus mobilibus disponunt, sed etiam ii qui iisdem utuntur.

Quaeres 6. *Quaenam licentia superioris requiratur, ut religiosus possit uti rebus temporalibus?*

Nota. Quadruplex est licentia, nimirum expressa, quae verbo, vel scripto, vel alio quovis signo conceditur. Virtualis, quae expressae aequivalet, contineturque in officio alicui commisso. Tacita, quae ex circumstantiis verisimiliter creditur adesse, v. gr. cum praelatus videt subditos aliquid recipere, donare, nec prohibet, cum facile possit, tunc tacite consentire videtur. Et tandem, praesumpta, qua, justa causa occurrente, concluditur, quod superior vellet, si statum rei sciret. His notatis,

Resp. 1. Sufficit ut licentia superioris sit virtualis, aut tacita, quia sufficit ut actus religiosi sint dependentes. Requiritur, tamen, expressa, 1. Cum agitur de re gravi, nec urget necessitas. 2. Dum facilis ad superiorem patet recursus.

Resp. 2. Licentia praesumpta non sufficit, nisi cum causa urget, et superior non potest tunc adiri: quia admissa universaliter hac presumptione, inferiores fere semper pro libitu de rebus tanquam suis disponerent

cum gravi damno religiosae disciplinae, quod ex officio tenetur impedire superior.

Quaeres 7. *Quaenam summa requiratur ad peccatum mortale proprietatis?*

Res. Generaliter requiritur eadem summa quae requiritur ad furtum mortale, cum appropriatio facta a religioso sit verum furtum.

Quaeres 8. *Quaenam sunt poenae proprietariorum?*

Resp. Sunt tres. 1. Reclusio ad agendam poenitentiam. 2. Privatio vocis activae et passivae ad bienium. 3. Privatio ecclesiasticae sepulturae. Quae poenae non sunt latae, sed ferendae sententiae.

### CAPUT III.

#### De obligationibus personarum judicialium.

Quaeres 1. *Quot sint praecipuae obligationes Judicis?*

Resp. Sunt quinque. 1. Ut habeat jurisdictionem in personas judicandas, et in causam; alioquin ejus sententia est irrita. 2. Ut habeat scientiam sufficientem ad munus suum recte obeundum, juxta illud Psalm. 2. *Erudimini qui judicatis terram.* 3. Ut habeat constantiam et virtutem ad munus Judicis exercendum, juxta illud Eccli. 7. *Noli quaerere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumperere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in iniquitate tua.* 4. Ut justitiam et integritatem in omnibus servet; porro ut illa integritas servetur, utrumque jus prohibet ne Judices munera accipiant. 5. Ut judicet secundum leges, tum quoad modum procedendi, ordinem et formam judicii, tum quoad sententiam ferendam et exequendam, ad hoc enim a Respublica vel Principe Judex est constitutus.

Quaeres 2. *Utrum Judex possit eum, quem certo co-*

*gnoscit innocentem, capite damnare, si per testes legitime probetur reus?*

*Resp. negative:* Quia intrinsece malum est aliquem occidere sine auctoritate; atqui Judex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis; hanc enim non potuit ei communicare Respublica, cum nec ipsa talem habeat, sed solus Deus; ergo, &c.

*Objicies.* D. Ambros. *serm.* 20. in *Psalm.* 118. ait: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges et jura pronuntiat;* ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Juxta leges et jura pronuntiat, cum de facto pronuntiat, *con.* cum non pronuntiat, *nego.* Porro in praesenti casu non debet pronuntiare, sed tenetur omnes inire vias quibus possit innocentem liberare: quod si non possit eum liberare, debet causam ad superiorem Judicem remittere, et apud eum assumere officium testis, ut possit innocentis liberationem urgere.

*Quaeres 3. Quanam sunt dolēs accusatoris?*

*Resp.* Sunt duo, nempe *veritas*, qua deterreatur ab accusatione et probationibus falsis aut dubiis. Et *justitia*, qua deterreatur ab injustis molitionibus, v. gr. testes falsos adhibendo, judices corrumpendo, &c.

*Quaeres 4. Quot sunt obligationes testium?*

*Resp.* Duae. 1. *Testificare, dum legitime interrogantur:* excipiuntur I qui delictum norunt ex confessione sacramentali, vel sub secreto naturali consilii vel auxilii petendi gratia, ut *advocatus, medicus, obstetrix,* &c. 2. *Excipiuntur consanguinei et affines delinquentis usque ad 4. gradum.*

2. *Verum absque fuco testari:* alias esset perjurus, et teneretur omnia resarcire damna ex sua testificatione secuta.

*Quaeres 5. Utrum reus a Judice interrogatus teneatur crimen suum fateri?*

*Resp.* Tenetur sub mortali si juridice interrogetur: quia Judex habet jus interrogandi et exigendi verita-

tem ob bonum publicum; ergo est in re obligatio veritatis ipse clare aperiendae: jus enim praecipendi et obligatio obediendi sunt duo correlativa, quorum unum non potest esse sine alio.

*Quaeres 6. Utrum reus de complicibus interrogatus, teneatur ipsos detegere?*

*Resp.* Tenetur 1. dum de illis praecesserunt infamia, vel indicia sufficientia, vel semi-probatio. 2. Dum ejus crimen necessario complicem requirit. 3. Dum crimen quod est Reip. valde noxium, vel etiam alicui innocenti, aliter impediri non potest.

*Quaeres 7. Utrum licitum sit reo fugere ad vitandam mortem vel mutilationem?*

*Resp. affirm.* Quia non conjicitur in carcerem, ut ibi sponte maneat, sed ut ibi detineatur.

*Quaeres 8. Ad quid teneatur advocatus, referens, procurator, notarius, et apparitor?*

*Resp.* Hi omnes tenentur ex justitia, 1. habere competentem scientiam, qua unusquisque suum munus valeat debite exercere. Unde si defectu competentis peritiae sint causa damni, tenentur illud resarcire. 2. Tenentur in omnibus justitiam sectari, sub restitutionis obligatione.

## TRACTATUS XII.

### DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

*Quaeres 1. Quid sit virtus?*

*Resp.* Definitor a D. August. *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur.* Nempe si quis ad pravum finem utatur virtute, desinet ipsa esse virtus, eritque vitium, ut patet in eo qui ex vana gloria dicit eleemosynam.

Quaeres 2. *Quomodo dividitur virtus?*

*Resp.* Dividitur in intellectuales, morales, et theologicas.

Virtutes *intellectuales*, sunt eae quae perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri. Sunt quinque, scilicet, *intelligentia, sapientia, scientia, prudentia et ars*. *Morales*, sunt eae quae perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum, cujuscumque sit generis. Quatuor sunt praecipuae, ideo dicuntur *Cardinales*: nimirum, *prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia*.

*Theologicae*, sunt eae, quae circa Deum immediate versantur. Sunt tres, nempe, *fides, spes, et charitas*.

Quaeres 3. *Quotuplex sit medium virtutis?*

*Resp.* Duplex, scilicet, *medium rei*, quod ita est ex natura rei determinatum et fixum, ut sit semper unum et indivisibile, nec varietur pro loco, tempore, et persona. *Medium rationis*, est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore, et persona, juxta prudentis aestimationem, quare *ratione definitur*.

Quaeres 4. *Utrum sint aliquae virtutes quae non consistant in medio?*

*Resp.* Virtutes theologicae et intellectuales non consistunt in medio per se et ex parte objecti, quia contra eas non potest peccari per excessum; sed per accidens et ratione subjecti requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum moderamine, juxta cuiuslibet naturam, genium, et conditionem.

Quaeres 5. *Quaenam virtutes consistant in medio?*

*Resp.* Virtutes morales, cum hoc discrimine, quod justitia consistat in medio *rei*, caeterae in medio *rationis*: ratio est quia contra eas peccari potest per excessum, et per defectum.

Quaeres 6. *Quotuplici modo spectari potest virtus moralis?*

*Resp.* Spectari potest, 1. *in statu perfecto*, et ea est quae tam perfecte possidetur, ut omnibus contrariis fa-

cile possit resistere. *In statu imperfecto*, et est ea quae non est ita obfirmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, sed simplicis tantum dispositionis, quae inclinat quidem subjectum ad bene operandum, sed non adeo fortiter, ut omnem difficultatem vincere possit.

Quaeres 7. *Utrum virtutes morales necessario sint inter se connexae?*

*Resp.* 1. Non sunt, si spectentur in statu imperfecto; nam experientia constat multos esse promptos ad opera misericordiae, qui non sunt prompti ad opera castitatis.

*Resp.* 2. Sunt, si considerentur in statu perfecto, quia virtus in statu perfecto efficit, ut quis lubenter et sine mora operetur in propria illius virtutis materia; at nemo, qui vel una virtute destitutus fuerit, sic se gerit, ut patet in muliere casta, sed avara, aut metuculosa; si enim ingens illi offeratur pecuniae quantitas, aut minae mortis ei intententur, haud difficile patietur castitatis detrimentum.

## TRACTATUS XIII.

### DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

*Nota.* Cum sint tres virtutes Theologicae, tres similiter hujus Tractatus erunt Dissertationes.